



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

VIII. An Theologia nostra perseueret in beatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

SECTIO VIII.

An Theologia nostra perseveret in Beatis.

Heruæus.
Capreolus.

Gabriel.
Medina.
Valentia.
Zumel.
Fasolus.
Granadus.
Gillius.

1. Corint. 13

Caietanus.
Bannez.
Henriquez.
S. Thomas.

Medina.

Hieronym.

119. **P**RIMA sententia negat: est Heruæi q. 6. Prologi ad primam q. Capreoli q. 1. a. 2. ad quartum secundo loco adductū contra sextam conclusionem. Gabrielis in 3. Dist. 31. a. 3. dubit. 3. Medina P. 2. q. 67. a. 2. Molina 1. p. q. 1. art. 2. Disp. 3. in fine. Valent. q. 1. puncto 3. §. 5. habitus. Zumel q. 1. conclus. 2. Fasoli dubit. 8. Granadi Disput. 4. Gillij lib. 1. tract. 2. c. 8. Fundamentū est, quia Theologia est habitus essentialiter obscurus; ergo non manet in Beatis. Consequentia constat: alioqui in illis maneret etiam fides, cū sit æqua ratio vtriusque: atqui fides non manet, ut est commune Theologorum placitum; ergo nec Theologia. Anteced. probatur: quia Theologia gignitur ex actibus Theologicis essentialiter obscuris, cū nitantur testimonio Dei virtuali. Confirmatur, quia talis habitus esset in Beatis otiosus; cū enim non posset inclinare, nisi ad assensum obscuros, quia nequit inclinare, nisi ad actus conformes ijs, quibus est genitus; & in Beatis nequeat esse assensus Theologicus obscurus; cōsequēter esset in ijs talis habitus otiosus. Secūdo probatur ex illo primæ Corint. 13. *Sine Prophetia euacuabuntur: sine scientia destruetur: ex parte enim cognoscimus. Cū autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Ergo Theologia nostra, quæ obscurè, & imperfectè Deum cognoscit, accedente clara visione Dei, cessabit.

120. SECUNDA sententia affirmat. est Caiet. 1. p. q. 1. art. 2. §. quoad secundū. Bannez dubio tertio. Henriquez libro ultimo de fine hominis c. 1. eaque apertè colligitur ex S. Tho. 1. p. q. 89. ar. 5. & p. 2. q. 67. a. 2. in quibus docet, in animā separatā manere omnes scientias acquisitas. Nec rectè Medina id explicat de scientijs dūtaxat naturalibus evidentibus, quæ non pugnant cum clara visione Patriæ: Nam S. Tho. intelligit etiam de Theologia, ut patet ex argumento. *Sed contra*, vbi ad id probandum vtitur auctoritate S. Hieronymi Epist. 103. ad Paulinum, quem ad studium sacræ scripturæ adhortatur, his verbis: *Discamus, inquit, in terris, quorū scientia nobis perseveret in Cælo*: atqui studium sacræ scripturæ est ipsissima Theologia, ut patet; ergo.

121. Pro cuius controversiæ explicatione notandum, dupliciter posse in nobis manere habitum Theologiæ in alia vita, vno modo formaliter in ratione habitus, hoc est in ratione principij conproducētis similes actus, à quibus fuit genitus; alio modo materialiter, solum in ratione scientiæ, seu conclusionum scitarum. Hoc posito.

122. Dico 1. Theologia non remanet in Patria, in ratione habitus formaliter. Fun-

damētum est: quia habitus Theologiæ pēdet essentialiter in assensu Theogico producendo ab habitu fidei: atqui hæc non remanet in Patria; ergo nec Theologia. Minor est communis sententia Theologorū. Maior probatur, quia Theologia est habitus deductiuus conclusionum ex assensu principiorum, sola fide creditorum: ergo nequit eas deducere sine assensu fidei. Confirmatur. Nam habitus fidei habet se ad habitum Theologicum, sicut habitus principiorum ad habitum conclusionum: sed nequit habitus conclusionū producere suum actum sine habitu principiorum; ergo nec habitus Theologicus assensum Theologicū sine habitu fidei. Maior est certa: Nā sicut habitus principiorū subministrat scientiæ principia conclusionū, ita habitus fidei subministrat Theologiæ principia conclusionum. Minor probatur, quia principia non sunt ratio assentiendi conclusioni, nisi ut cognita; cognoscuntur autem per habitum principiorum: Ergo nequit habitus conclusionum suum actum producere sine habitu principiorum.

123. Dico 2. Theologia materialiter, & quoad conclusiones ipsas ex principijs fidei deductas manet in patria. Fundamentum est: quia in Patria manent species conclusionum Theologicarum: ergo manet Theologia quoad conclusiones deductas. Consequentia probatur: quia in mea sententia habitus acquisitus consistit in speciebus, magis ac magis ordinatis, & perfectis. Anteced. ostendo, tum à posteriori: quia Beatus recordatur tales conclusiones; non posset autē illas recordari, nisi earum species haberet: quia recordatio fit media speciei rei, cuius recordamur. Tum à priori; quia tales species nō habent cōtrarium; ergo nō est à quo corrumpanitur. Consequentia patet, quia cū nequeant illæ corrumpi ex corruptione subiecti, quia subiectū in intellectu, quæ suapte natura est incorruptibilis, si corrūperetur, à cōtrario deberent corrūpi: cū igitur nullum habeant contrariū, non est à quo corrūpantur. Nec dici potest, illas corrūpi corruptis phantasmatis, à quib. pendebant: quia licet species intelligibiles pendeant à phantasmatis, in fieri, cum eruuntur ab intellectu agente medio concursu phantasmatis, non tamē pendent in facto esse. Atque hoc ad minimū probat præcitata auctoritas Hieronymi, Paulinum adhortantis ad studium Theologiæ, cuius scientia nobiscum perseverat in Cælis. Legatur S. Thom. loco præcitato.

124. Ex dictis deducitur primò in animabus purgātibus perseverare Theologiā etiā in ratione habitus formaliter: quia sicut in illis perseverat habitus fidei; ita & Theologia in ratione habitus formaliter: vnde possunt, & sæpè eliciunt actus Theologicos, sicut & fidei.

125. Deducitur secundo in damnatis non solum perseverare habitum Theologiæ materialiter, quoad conclusiones deductas ex principijs revelatis, creditis fide infusā,

sed

Hieronym.

S. Thomas.

S. Iacob.

sed etiam formaliter, quoad conclusiones deductas ex principiis reuelatis, creditis fide acquisita: quia sicut in damnatis manet fides acquisita eorumdem principiorum, quorum habuerunt fidem infusam in via, iuxta illud Iacobi 2. *Damones credunt*, nempe fide humana, & *contrémiscunt*: ita in ijs manet habitus non tantum materialiter, quoad conclusiones deductas ex principiis reuelatis creditis fide infusa; verum etiam formaliter, quoad conclusiones deductas ex iisdem principiis, creditis tantum fide acquisita. Vnde possunt elicere novos assensus Theologicos ex principiis reuelatis, creditis tantum fide humana: quæ tamen non manet in Beatis, in quibus clara visio Dei excludit utramque fidem infusam, & acquisitam. Neque est absurdum manere in damnatis aliquem habitum supernaturalem, qualis est Theologicus: cum in ijs maneat sacramentalis character, qui in omnium sententia est supernaturalis in essentia.

126. Ad Fundamentum Primæ distinctionis consequens: non manet in beatis formaliter in ratione habitus, & comprincipij, inclinantis ad consimiles actus; concedo: non manet materialiter, in ratione scientiæ & conclusionis deductæ; Nego. Nec est eadem ratio de habitu fidei infusæ, quia cum hæc se habeat per modum potentiæ inclinantis tantum ad reuelata credenda, non habet aliud munus, quam intellectum iuuare ad obiecta reuelata credenda: quo fine in patria cessante, cessat & ipse habitus ad talem finem essentialiter ordinatus. At verò habitus Theologicus non solum inclinat potentiam ad conclusiones Theologicas deducendas, sed præterea continet ipsas conclusiones ex principiis reuelatis deductas: continet enim species intelligibiles conclusionum Theologiarum, quæ sunt virtuales representationes earum. Vnde potest beatus eas intuendo, saltem abstractiue, cognoscere conclusiones ipsas deductas, quarum ipsæ species sunt representatiuæ.

S. Thomas.

127. Ad Confirmationem, nego assumptum: quia licet habitus Theologicus in Patria non deseruiat ad consimiles actus eliciendos: deseruit tamen ad exprimendas obiectiue intellectui conclusiones Theologicas iam deductas; atque adeo non erit in ijs otiosus. Locum autem Pauli explicat S. Thomas locis præcitatis de actu, non de habitu Theologico, qui in Patria non erit obscurus, & per conuersionem ad phantasmata, sed clarus & euidens, & sine vlla conuersione ad phantasmata: nam etiam ille actus, quo Beatus cognoscit conclusiones Theologicas, ex principiis reuelatis deductas, est euidens; quia licet cognoscat illas abstractiue, euidenter tamen cognoscit eas in ipsis speciebus representantibus.

128. Dices. Ergo pari modo deberet in Beatis remanere habitus fidei, quia in illo euidenter cognosceret omnia obiecta reuelata. Resp. Nego sequelam: nam Beatus non

eget habitu fidei, vt eo mediante cognoscat obiecta reuelata; siquidem illa euidenter cognoscit in verbo: solum posset in eo remanere, vt eo mediante cognosceret obiecta, quæ de facto in via credidit: sicut remanet habitus Theologicus, vt eo mediante cognoscat conclusiones, quas de facto ipse in via ex reuelatis deduxit. Verum ad hunc effectum non potest deseruire habitus fidei; quia cum sit ad instar potentiæ indifferentis ad hæc, vel illa obiecta, non potest hæc potius, quæ actu credidit, quam quæ poterat credere, intellectui exprimere. Habitus verò Theologicus, cum consistat in speciebus acquisitis ex præteritis actibus, solum potest exprimere ea, quæ actu cognita fuere, & ex reuelatis Theologicis deducta.

SECTIO IX.

Quodnam sit subiectum nostræ Theologiæ.

129. **N**OTAT Durandus q. 5. Prologi nu. 6. & cum eo alij, discrimen inter subiectum, & obiectum scientiæ: ed quod obiectum est id, quod principaliter terminat actum scientiæ: quod autem principaliter terminat actum scientiæ, est conclusio ipsa in scientia demonstrata, quæ est propositio complexa, continens subiectum & passionem. Subiectum verò est illud, de quo demonstrantur passionem scientiæ: quod ordinariè est terminus incomplexus, cuius cognitio principaliter in scientia intèditur: Quod tres habere debet conditiones, primam, vt virtute contineat omnes veritates in scientia demonstrabiles; secundam, quæ sequitur ex prima, vt de eo possint reliqua denominatiue prædicari; tertiã, vt si quid aliud in tali scientia tractatur, tractetur per attributionem ad ipsum. Tamen si alij subiectum cum obiecto scientiæ confundat: nos sequuti modum loquendi grauiorum Theologorum, ea distinguimus, & propterea in titulo sectionis vsumus potius nomine *subiecti*, quam *obiecti*.

130. PRIMA sententia Magistri in primo dist. 1. initio docentis subiectum Theologiæ nostræ esse tum signa, tum res: per signa autem cum Augustino intelligit, non solum voces, sed etiam res ad alias res significandas impositas; velut Sacramenta, quæ sunt res impositæ ad significandas alias res, nempe gratiam, characterem, &c. Probat autem hanc suam sententiam Magister auctoritate Augustini lib. 1. de doctrina Christiana. c. 2. Vbi docet, omnem doctrinam aut rerum esse, aut signorum. Secundo ratione: quia quid in Theologia tractatur, aut sunt res, aut signa: ergo hoc est obiectum adæquatum ipsius.

131. SECUNDA sententia Durandi q. 5. Prologi, vbi præmissa distinctione Theologiæ in habitum creditium articulo-

fidei,

Durandus.

Magister.

Augustinus.

Durandus.